DE NATATIONIS UTILITATE IN OECONOMIA ANIMALI DISSERTATIO...

Giuseppe medico Scomazzoni (medico)

Digitized by Google

DE

NATATIONIS UTILITATE

IN OECONOMIA ANIMALI

DISSERTATIO INAUGURALIS

HABITA

IN VETUSTISSIMO AC CELEBERRIMO

PATAVINO ARCHIGYMNASIO

AB

JOSEPHO SCOMAZZONI

ALENSI

PRO

LAUREA MEDICA

ASSEQUENDA

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXL.

PIA UNIONE MED.CHIR.FARMAC. IN VENEZIA

Digitized by Google

Digitized by Google

CLARISSIMO AMPLISSIMO SAPIENTISSIMO

VIRO

DOCTRINA FIDE VIRTUTE

SPECTATISSIMO

J O A N N I T A D D E I

DOCTORI MEDICINAE MERITISSIMO

ALENSI

JOSEPHUS SCOMAZZONI

Velim, me excuses, qui hunc laboris mei fructum tibi, Vir amplissime, inscribo, cujus in omnium ore et admiratione est medica peritia. Danda sunt ea, quae virtuti respondeant. At mehercule non modo adolescens ignarus, sed ne alius quidem, qui omni doctrina valeat, haberet, quod meritis tuis esset satis. Afferam tamen quod possum; ego enim

Digitized by Google

407

aliquid potius, quam nihil dare malo. Id exigit ratio officiorum, quibus me tibi jamdiu devinxisti. Reliquum est, ut novus medicus tanti medici patrocinium efflagitem, ne in re agenda aliquando deficiam. Quidquid consilio, scientia, arte praestiteris, scias mihi fore carissimum. Hoc eo facilius accidet, quod in eadem patria sumus. Vale.

Digitized by Google

Si qua est ars inter gymnicas exercitationes, cui nos praecipue dedere debeamus, utpote quae therapeuticam hominumque hygienem spectat, ea profecto est inter ceteras, quam natationem vocamus. Haec siquidem ars est, quae mirum in modum nostrae valetudini membrorumque firmitati inservit, quae aliquando ad vitam ipsam tuendam necessaria est, quaeque demum, si moderate et honeste exerceatur, summa nos afficit oblectatione.. Veteres Graeci atque Romani, qui gymnicorum certaminum magistri habentur et sunt, quique nihil aliud potius studebant, quam physicam corporis constitutionem firmissimam reddere, animumque aptissimum ad graviora obeunda pericula, et ad dirissimos labores perferendos, in eo toti erant, ut etiam in natationis arte juvenes potissimum instituerentur: quodque nostris hisce temporibus e plebe tantum hominibus concessum esse videtur, tunc omnes cujuscumque generis ac conditionis detinebat, nec erat qui sicut ceteris, ita et hac gymnica natationis arte corpus exercere suum dedignaretur. Sed hac nostra aetate non ita se res habet; sive

Digitized by Google

enim luxus ac mollities aliis omnino dissimillimis rebus detineant animos, et hanc nobilissimam artem flocci faciant, sive nullus quasi gymnicorum ludorum usus hominum spiritum, ut ita dicam, enervaverit et perterruerit, eo certe devenimus, ut haec eadem ars non modo non vigeat, sed prorsus obliteretur. Neminem equidem non mirari arbitror existere homines, qui tam audacter tot pericula terra marique, atque extremum saepe fatum subeant, tunc subito percellantur timore, cum in aquas se se immittere debeant, et ea deinde negligant sibi comparare auxilia, quibus, si forte immergantur, incolumes possint evadere. Ceterum non is ego sum, qui hujus artis regulas tradere queam, utpote qui et hujusmodi famae acquirendae minime cupidus, et opportunis ad id cognitionibus destitutus sim; illud unum in animo mihi est, cum meo muneri satisfacere velim, ut quo tandem modo possim ostendam, quantae utilitatis ad valetudinem, quanti praesidii et oblectationis ad vitam sit ars natationis.

Natare est in aqua volvi et excurrere. Natandi igitur ars in eo sita est, ut corpus humanum vel totum vel partim in aqua mergatur, et membrorum auxilio sursum et deorsum excurrat. Ut hoc tuto et aliqua industria fiat, opus est, ut ille qui se undis committit, non solum sciat quomodo manuum ac pedum auxilio uti debeat, sed hanc artem mature discat, ne si forte aliquod infortunium contingat, artis fructum repente amittat. Revera natationis praecepta non satis erunt, ut cum primum in aquas immergitur, rei novitate non deterreatur. Cuilibet in natandi arte impe-

Digitized by Google

rito nullius fortasse momenti videbitur membrorum exercitium et motus; sed simul ac undas tetigerit, statim intelliget quale inter artis praecepta, et eorumdem praeceptorum usum discrimen intersit. Idem profecto illi contingeret, quod piscibus, qui ex aqua in terram trahuntur; ut scilicet inopino mortis terrore perculsus, tunc cum in novo sibi elemento fluitaret, novis etiam et sine lege motibus frustra fatigaretur, et ibi extremo occurreret fato, ubi salutem aut arte solatium reperire arbitrabatur. Multo magis caveat, ne in undas uno ac improviso jactu prosiliat; vehemens enim et repentina aquae impulsio totius corporis compagem maximopere perturbaret. Quare ut tot damna evitet, ut quisque aquarum vortices animose superare, et aquarum incursui resistere, utque iis commodis frui possit, quae ex natandi arte in humanam constitutionem redundant, opus esset, ut a primis usque annis balneis praecipue tepidis, deinde sensim frigidis assuesceret, quemadmodum ad puerorum salutem vel recuperandam, vel augendam apposite saepius et optime consultum fuit. Idoneum itaque paretur vas, in eoque puer alicujus auxilio fretus natantia enodet membra, et paulatim assidua exercitatione peritus evadat. Quis porro hujusmodi exercitationis utilitatem non videt? Cum enim adoleverit, legibus profecto non indigeret nec auxilio, ut scienter nataret, utque praeceptis aptiora adderet natandi praecepta. Pueritia siquidem ea est aetas, cui hoc maxime convenit, utpote quae aptior est quam adolescentia, cum de simplici corporis motu agatur, cumque majori partium organicarum elasti-

Digitized by Google

4.0 V

citate ac flexilitate praedita sit, facilius varios exequi motus possit; et tali exercitatione adeo agilis progressu temporis evadit, ut nunquam alias tantam possit adipisci membrorum agilitatem. Cur porro inter nos tot laudibus effertur robur et vis antiquorum? Nonne hujusmodi vires et robur natatione aliisque gymnicis certaminibus sibi comparabant? Nonne illis curae praecipuae erat, ut nati balneis primum, deinde natationi assuescerent? Discant ab illis parentes nostri quomodo filii instituantur! Quale robur, quaeve constans valetudo, quae corporis venustas, et in laboribus patientia, et in periculis virtus potest acquiri ab iis, qui ad mollitiem, ad voluptatem, ad otium parentum exemplo trahuntur? Nec est cur dicant, maximam filiorum rationem habendam esse; dum interim tantopere caveant, ne ab aqua solum, sed etiam ne ab ipso aere laedantur.

Nemini praeterea dubium esse potest, quin aqua moderate frigida ad robur corporis conciliandum tanquam tonicum et adstringens maxime valeat, et animalibus partibus tam solidis, quam fluidis tonum largiatur; coeunt enim inter se partes omnes corporis, atque in ea aequilibrii conditione perstant, ut nec nimium illae fluidae evadant, ac proinde morbosae, nec aliae reciprocam contractionem, elasticitatem et soliditatem amittant: id efficit praeterea, ut moleculae elementares inter se invicem coeant, utque majori vi ad suarum peculiarium functionum exercitium simul confluant. Ad hujusmodi emolumenta consequenda aqua moderate frigida utendum esse annuimus; moderate frigida, in-

Digitized by Google

quam, ut scilicet recentioris systematis objectiones refellam; frigus enim immoderatum corporis constitutionem infirmat; cum corpus nativo calore destitutum non solum debilitatur, et suas interrumpit functiones, sed etiam vitalitatem ipsam amittit. Quod quidem non evenit si moderato frigore utemur, quoniam propter mechanicam ejusdem actionem robur corporis auget potius quam imminuat, quemadmodum observare possumus in incolis ad septentrionem positis, qui multo fortiores ac robustiores, minusque morbis afficiuntur, quam qui regiones ad meridiem incolunt. Praeterea nemo non novit motum non solum iisdem facultatibus praeditum esse, cum partibus organicis elasticitatem et firmitatem totique corpori vires addat, sed etiam mirifice agere, ut animales multiplicium textuum fibrae ad voluntatis nutum et ad varias functiones vitae perficiendas, promptiores aptioresque efficiant partes ab ipsis compositas, atque etiam humores continuo agitentur. Sed si temperatum aquae frigus praeter expositos effectus ita agit, ut humores motu retrogrado ad centrum corporis impellantur, et eorum circulatio aliquo modo impediatur; perpetuo partium conflictu, earumque novo semper recursu motus non solum obstat, ne humores ipsi ab exterioribus partibus ad internas vehantur, sed etiam praeter caloris conservationem ipsi circulationi inserviat. Quapropter si aqua moderate frigida, si motus simul humano corpori admoveantur, ex mutuo duarum hujusmodi causarum concursu fiet profecto, ut partes corporis majorem soliditatem ad agendum acquirant, et congruum semper in mul-

Digitized by Google

tiplicibus antagonismi punctis servent aequilibrium. Hinc praeterea fiet, ut propter motum hae ipsae partes uno eodemque tempore commotae et se se invicem agitantes praeternaturales et supervacaneas fluidorum congestiones in textu cellulari, tot morbos efficientes, prohibebunt, aut certe, quae morbose coalescunt, propter nimiam absorbentium vasorum actionem, exagitabunt, et novo ac salubriori motu donabunt. Quare ex perenni mutuoque partium recursu et contractione vasorum parietibus exagitatis, ita ut vivide agere possint modo aperiendo, modo cohibendo, humores per eorum vias fortius expellent; hinc fiet, ut variae confestim secretiones et excretiones per hujusmodi circulationem confestim eveniant, et organicae constitutionis nutritioni optime provideatur, atque etiam excitati sanguinis impetu cum alicujus vasis diuturna partium inertia fortasse quiescentis lumina deobstruantur, sicuti in venae portae systemate saepe saepius obvenire animadvertimus, congestiones morbosae de medio tollantur, et ad pristina officia affectum male viscus restituatur.

Exercitatio corporis in aqua, ea est quae prae multis chemiae praesidiis plurimum habet utilitatis, quin physicae hominis constitutioni quidquam officiat. Cum igitur natandi ars mature adhibita sit, iis praecipue exercenda praescribatur, qui variis obstructionibus, aut pinguedine laborant; iis etiam qui propter lentum humorum cursum aliquam sibi comparant congestionem, ex qua fit, ut corporis vigor decrescat. Atque ii familiarius hanc artem exercere debent, qui delicatam indolem et mollem corporis con-

Digitized by Google

stitutionem sortiti sunt; ii scilicet aquarum motu membra confirment, et nimia totius corporis mollitie dejecti convalescant. Natatio praeterea systemati gastro-enterico robur addit, et exoneirosi involuntariae remedium affert, quae a nimia nervorum laxitate plerumque oboritur. Quod si diathesim scrophulosam et rhachiticam compescere et coercere, aut si uno verbo astheniae morbis obstare velit, curet quisque, ut in aqua marina potissimum natationis artem exerceat.

Quod damna humanis afferant corporibus variae tempestatum vices, praesertim tunc cum atmosphaera derepente mutatur, nemo est hominum qui nesciat: hinc quotidie rheumatismi, arthritides, anginae, febres, et reliquae hujusmodi inflammationes; hinc processu temporis, neglectis idoneis remediis, ipsa phthisis; quibus malis ii magis afficiuntur, qui ab aeris intemperie atque etiam irregulari vestium usu magis sibi praecavent; tunc nimirum certa et nunquam interrupta methodo assuescit natura, ita ut ad quamlibet vel aeris, vel cujusque rei mutationem perturbata, aegritudine statim et diuturnis etiam morbis afficiatur. Qui vero aestivo prius, deinde sensim aliis etiam temporibus natare frequenter didicerit, is profecto aeris vicissitudines impune perferet, et praepeditae perspirationis effectus funestissimos superabit. Clare enim patet, illum qui mature variis frigorum vicissitudinibus assuescit, minori etiam incommodo processu temporis affligi. Quas vero e balneorum usu utilitates percipimus, eaedem profecto atque etiam majores a natationis arte redundant. Natatio enim hoc balneis praestat, quod continuus membro-

Digitized by Google

rum omnium motus ita corpus exercet et agitat, ut promptius hinc et facilius sudor et perspiratio emanet. Natatus ex altera parte acceptior habendus esset, et balneis praeferendus ab iis, qui a naturali aquae frigore abhorrent. Cum enim corpus immobile et iners in balneo persistat, calor intimus corporis exeat quodammodo necesse est, ut cum aqua frigida ad superficiem constituat aequilibrium, hinc omnis organica constitutio rigescet atque torpebit. Natans vero continuo membrorum omnium motu ita exercet corpus, ut auctum calorem aeque servet; ac proinde natatus balneis frigidis et utilior et jucundior habetur et est.

Sed natatio non solum corporis vires auget, et ad valetudinem homines restituit, sed illorum etiam animos addit, ut illud naturae elementum quodammodo negligant, quod saepe saepius vel maxime officit iis, qui hanc artem ignorant; qua qui praeditus est, vanos quorumdam homunculorum timores flocci facit. Quot damna exundans torrens affert agris et ipsis hominibus? Pereant, pereant bona, si nulla suppetunt remedia, at incolumis sit vita, quam jure omni divino et humano tueri debemus. Hoc omnes officio in primis tenemur, ut nostram aliorumque vitam conservemus, si forte periclitetur; at quomodo hoc sacro et inviolabili muneri satisfaciemus, si opportunis destituamur praesidiis? Si forte accidat, ut quis in aquam decidat, nunquam profecto ab illo periculo incolumis evadet, si ipse aliquo artificio subsidium sibi non praestet, aut alius in ejus auxilium occurrat. Sed quodnam aliud artificium adhibere poterit, ad quod

Digitized by Google

praesidium confugiet, in tanto vitae periculo, in quo quaevis mora fatalis erit, nisi ad natationem? Quomodo vero quivis alius alteri periclitanti poterit auxilio esse, nisi diuturno valeat artis exercitio, ut non solum sui corporis pondus, sed aliud fortasse etiam gravius sustinere queat? His sublatis utilitatibus natatus posset cuipiam videri jucundus atque etiam utilis, minime vero necessarius. Sed experientia duce comprobatum est, hujusmodi infortunia saepe accidere; ut scilicet sibi et aliorum saluti quisque consulere debeat; clare etiam patet, illum qui in hac arte minime versatus est, cum undarum vortice obvolutus sit, aut etiam stagnantibus aquis submergatur, procul dubio periturum. Nonne assidue propter perpetuos autumni imbres, aut propter nives dissolutas timendum est nobis aliisque, ne flumen ripas exsuperet, et exlex per campos animalia, segetes, tecta hominesque secum lato vastoque gurgite trahens expatietur? Nonne saepe accidit, ut torrentem transire necessitas urgeat, modo ut in aquam proditorie, aut casu lapsi extremum vitae discrimen effugere conemur? Nonne continuo nautae magnis pelagi periculis obnoxii sunt, et propter scopulos, aut improvisas tempestates ad extremum adducti morti occumbunt? Qui natandi arte pollet, etiamsi hujusmodi in discrimine versetur, impavidus et suae arti confisus opportune in undas desiliens ad littus proximum salutem sibi quaerit: ille etiam vultus serenitate fortibus audaciam, pavidis animum addit, dum hisce sine praesidiis in hujusmodi discriminibus confusio augetur, horror, desperatio. Quoties vero accidit, ut quempiam

Digitized by Google

4-17

periclitantem in undis cernamus, et hac arte destituti eidem auxilio esse non possimus? Quid tunc tot alia subsidia valent quae in medium afferuntur, nisi adsit qui pius et animosus in aquas se se jaciat, et natans auxilium prompte praestet? Quid dicam de tot bonis ac de pretiosis facultatibus, quae aut ab exundanti fluminis vi ablatae, aut naufragio certe periissent, nisi expertus adfuisset natator, qui eas redimeret? Ex quo facile quisque potest animadvertere, quot emolumenta is possit afferre sibi et aliis, qui natandi arte optime instructus sit. Quo vero animi gaudio et hilaritate perfundi debet ille, qui naufragum servaverit, et novum quasi hominem societati restituerit? Quibus laudum praeconiis efferendus hujusmodi vir? Si itaque tum vitae propriae et aliorum, tum bonorum facultatibus maxima ab omnibus habenda est ratio; si saepe, imo vero saepissime, hoc unum supersit auxilium ut vitam et facultates servemus, scilicet natatus; affirmandum erit hanc artem cuicumque hominum conditioni maximopere necessariam esse. Medicorum esset et magistratuum, quibus hominum salus et societatis totius bonum tuendum conservandumque traditum fuit, doctrinis et auctoritate utilitatem demonstrare hujus artis, quae scilicet societatis commodo tam pulchre inservit, et singulos homines spectat. Exsurgant siquidem ad subditorum commodum publica Instituta scientiarum, artium et literarum; sed et natationis Ludus aperiatur, quae non minus, quam illa, necessaria est. Praeceptor qui sapiat, duo qui praeceptori opem praestent, locus idoneus in quo theoretica praecepta tradantur, fovea aquae

Digitized by Google

purae satis ampla ad alumnos capiendos, haec tantum, nec ultra. Ita dum publicae oeconomiae non officimus, maximam Imperii subditis utilitatem offerimus.

Sed praeter haec apertissima emolumenta quae ab natatione prae ceteris aliis gymnicis exercitationibus proveniunt, honestae oblectationi esse potest illi praecipue qui expertus varias novit positiones ut innatet, utque brevi tempore statutum percurrat spatium, aemulosque suos proposito certamine superet: quod quidem in more positum fuit olim, cum praemia quoque ad id victori proponebantur. Aestivo tempore, tum cum ingenti et nimio calore angimur, atque ea lassitudine vivimus, ut huc illuc aegre trahamur refrigerationem aliquam quaeritantes, quodnam aliud vel opportunius inveniri potest refrigerium, ut ardentissimae tempestatis aestus temperemus, praeter natationem? Aqua itaque fluviorum magis idonea censenda est, utpote quae radiis solis aliquantisper tepefacta naturale frigus amittit, et tolerabilior evadit. Praeterea qui in fluvio perenni natat, lenis frigoris beneficio gaudet superioris atmosphaerae, quae praeterfluente aqua cum agitetur, magis temperata est; quod non ita evenit in balneis, quae insuper majorem ad hoc impensam desiderant, cum saepius aqua immutari debeat et calefieri, ut nocivum amittat frigoris rigorem, quo puteorum aquas contineri deprehendimus.

Post natatum vero ad vesperas cubitum ire utilissimum erit, ut dulcissima perfruamur quiete, et non interrupto somno relaxemus membra, et ne propter aestus fastidium insomnes, ut sae-

Digitized by Google

pe accidit, noctes transigamus. Neminem praeterea latere arbitror, quantum saluti obsit, quotve morbos praesertim ad cutem afferat corporis sordes. Natatio siquidem hoc etiam praestat, ut corpus sudore ac pulvere sordidum omnino purget, et quod aestivo praesertim tempore male ad fastīdium olebat, natatione mundum venustius exhibeat.

Ad hujus artis praecepta quod attinet, non est meum eadem vobis tradere: illud unum in genere dicam, opus esse, ut ille qui hanc artem ediscere cupit, prius aestivo tempore se se exerceat, et gradu quasi facto aliis etiam tempestatibus assuescat: et ne optimae digestionis officia unquam perturbentur, vel nascente vel cadente die natatio fiat. Aqua ad natationem limpida, nec nimium rigida, non lutea nec paludosa, sed placide excurrens seligatur. Illud etiam animadvertat natator, ut superficiem in aqua corpore efficiat maximam quam qui potest, et natationis leges, scilicet gravitatem, aequilibrium, virium usum, pressionem, respirationem, et visum animo semper teneat, et ante oculos habeat, quibus legibus ad opus uti meminerit. Qui vero ampliora hujus artis praecepta perdiscere desiderat, ut eamdem artem usu exerceat, perlegat quod Thevenotius clarissimus, et Corti (1) excellenter de natatu scripserunt.

Id omne per me dictum demonstratumque fuit quod ad natationis utilitatem atque etiam necessitatem pertinere arbitror. Nil aliud mihi

(1) L'arte del nuoto teorico-pratica dimostrata secondo i principj della fisica da Adolfo Corti. Venezia 1819.

Digitized by Google

superest, nisi ut parentes praecipue horter quam qui maxime, dummodo ipsis et proprium et totius societatis bonum cordi sit, ne natos suos instruere desistant, atque etiam praemiis excitare ad valetudinem corporis per hanc jucundissimam natandi artem tuendam, et ad plures annos incolumem conservandam.

Digitized by Google

414

Digitized by Google

THESES DEFENDENDAE

I.

Quaecumque irritatio alicui corporis parti admota illic naturae motus statim determinat.

II.

Natatum ad curandam quoque scorbuticam labem valde utilem existimo.

III.

Morbus venereus hereditarius est curatu difficilior quam acquisitus.

IV.

Lues syphilitica constitutionalis oriri potest, quin ulla affectio primitiva localis insurgat.

V.

Caloris animalis unicus focus non datur.

VI.

Tuba eustachiana ad renovandum aerem in timpani cavitate contentum praecipue inservit.

VII.

Tuberculorum efformatio non semper ab inflammatione pendet.

VIII.

Non dantur remedia, quae abortum directe excitare possint.

Digitized by Google

4.2.v

IX.

Antagonistica methodus semper in morbis chronicis utilis.

X.

A locali fonte repetenda actio irritativa.

XI.

Ex sanguinis detractione fit major vasorum inhalantium vis.

XII.

Natura persaepe et morbum et medicum devincit.

Digitized by Google

Digitized by Google